

Occasionem optimam habet. Cum rebus officii ita comparatum est, ut nunquam desint causæ, ad tergiversandum & cunctandum: qua ratione fides, charitas & voluntarium atque liberale obsequium ab ignavia & hypocrisi distinguitur. Huc pertinent ista: ἐξαργαζόμενοι τὸν καρπὸν Eph. 5:16. ἀκαίρως, ἀκαίρως. 2. Tim. 4:2. Ob frigus piger non arat, & optat in messe, & non est. Prov. 20:4. Dicit piger, Leo est in via, in plateis interficiar. Prov. 22:13. Ratio autem hinc ducitur non tantum ab amissione καρπῶν ad bene faciendum, sed etiam ab amissione fructus. Qui enim non metit, ei fructus sementis perit. Multi ob incommodum parvum, & quia nihil periclitari volunt, magnum bonum, quod ad manum est, & tanquam messem divitem liberalis sementis accipere & ad se veluti convehere negligunt. Vide Psal. 81:11. 12.

ii. à divino operandi modo in rebus omnibus; qui, cum homini occultus sit, fidem postulat. At qui ignavi & se-  
gnes sunt ad officium, imprimis charitatis, in iis est diffidentia fructus; quem si viderent coram, fortasse aliter animati essent, & presentem ab usum bonorum ac commoditatem futuro fructui posthaberent. Duplex hic utitur exemplo: 1. occultæ fecundationis terræ germinum virtute genialis venti; cujus viam ignorans agricola nihilominus sementem facit in spe, 1. Cor. 9:10. 2. occultæ formationis corporis humani in utero matris. v. 5. Christus Joh. 3:8. primo exemplo utitur ad explicationem operis Dei in regeneratione hominis per Spiritum sanctum. Sic est, inquit, omnis generatus ex Spiritu, hoc est, ita cum illo comparatum est; ita renascitur.

iii. consilium datur, contra ignaviæ & tenacitatis consilium: nimir. ut quis à mane ad vesperam semen suum seminet, hoc est, 1. bonum opus, unde fructum solidum capere possit, faciat constanter & assidue; 2. cum aspersione presentis oculi, & 3. incommoditatis tolerantia, ac 4. periclitatione bonorum presentium. quia nescis, utrum rectius sit proventurum, hoc est, si times jacturam, perge assidue periculum facere; quia certe aliquid recte proveniet: si speras fructum, similiter instas; quia forte utrumque recte proveniet. v. 6. Imò non forte sed certo: juxta promissionem Dei, Matth. 20:39. & ff. 2. Cor. 9:6. Heb. 6:10. Esa. 65:25. Apoc. 14:13. &c. Sed forte; quia plerumque fides & spes nostra  
I 4 imbecil-